



Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illustrandam,
Nunquam Edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1601

Epistola XXV. Domini, & Salvatoris mundi sanctissimæ congregationi, &
pio patri. Humilis Levita Salvtem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

mus. Vos fratres charissimi, mei habete, obsecro, memoriam in sanctis orationibus vestris, ut anima, perpetua prosperitate gaudeat in vobis.

Ego deuotus vestræ paternitatis filius, nunquã obliuiscor vestri, sed semper præ, & super omnes alios diligo charitate Domini quotidie, cum intima cordis compunctione deprecans, ut vos æterna pietate custodiat, regat, atq; protegat. Valet in Christo dilectissimi fratres.

EPISTOLA XXV.

Domini, & Saluatoris mundi sanctissimæ congregationi, & pio patri.

HVMILIS LEVITA SALVTEM.

LAudabilem vestræ beatitudinis conuersationem, & condignam vestro nomini vitam laudamus, Dominum in vobis, qui tales sui sancti nominis dignatus est habere confessores. Nec enim frustra speciali vocabulo monachi sancti SALVATORIS vocamini: nisi quia estis meritis, quod nomine dicimini. Imò & tam nobilis Rex, nobiles debet habere ministros, moribus egregios, in pace concordēs, in corpore castos, in animo sobrios, omni bonitate eximios: clarissimis aduetos triumphis non fuga vitam defendere, sed in acie firmiter stare, virtutibus pugnare, fortiter vincere, quatenus cum gloriosa victoriæ palma, æterni Regis ciuitatem intrare mereamini.

Hoc considerantes, fratres, adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec cognominetur Christus in vobis. Et ad finem firmum, cœptum iter beatæ conuersationis peragite, ut vnusquisque cum Apostolo dicere dignus efficiatur: Bonum certamen certavi, cursum consummaui.

1. Tim. 4.

ni, fidem seruaui. De reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex.

Vestræ petitionis, & voluntatis ad Dominum Regem, quantum valui, fui adiutor: secundum quod mihi fraternitatis vestræ missus suggestit: mihiq; adiutricem LIVDGDARDAM piissimam in DEO sceminam adduxi. Sed obsecramus, vt sanctissimis orationibus vestris, nostrum pro vobis laborem remunerare dignemini. Nam olim per ENGLRAMMVM Archiepiscopum, & sanctæ Capellæ Primicerium me ipsum vestræ commendavi sanctitati. Sed modò quasi singulorum pedibus prouolutus, obsecro, vt me in huius (vitæ) salo fluctuantem pietatis precibus ad portum perpetuæ quietis, diuina donante gratia, transportare dignemini: vt & ego animæ meæ salutem, fraternæ intercessionis iuuamine habere merear: & vos vitæ æternæ retributionis mercedem à DEO, pro charitatis officio digni accipere mereamini. Omnipotens DEVS exaudiat preces vestras, & multis prodesse concedat: vobisq; perpetuæ præmia gloriæ donare dignetur charissimi, & desideratissimi fratres.

EPISTOLA XXVI.

Dilectissimis viris fratribus, & patribus, in
Prouincia Scotorum.

HVMILIS ECCLESIAE CHRISTI VER-

naculus Albinus diuinam salutem.

Purima vestræ sagacitatis, & religionis laus nostris sæpius insonuit auribus: seu propter sacratissimam monachorum vitam; seu propter laicorum religiosam cõuersationem: dum illi ab omni strepitu secularis inquietudinis, soli Deo vacare desiderant: & isti, inter mundanas occupationes, castissimã vitã degere dicuntur. ... Isti

H. 2. inter-